

196. *Dices* 5°. Juxta *c. Constitutus de fil. Presbyt.* spoliatus beneficio restituendus est, si constet patrem ad tempus illud administrasse; non autem huic in perpetuum concessum fuisse; ergo a contrario restituendum non vult, si fuisset patri in perpetuum concessum.

R. *C.* totum; quia hoc fieret contra canones, quibus expresse prohibetur, filium beneficium habere in Ecclesia, in qua pater habuit. Talis igitur filii possessioni cum resistat positive jus, ille restitui nec debet, nec potest, quia ad tale beneficium possidendum est jure inhabilis; unde *c. quoniam. de fil. Presbyt.* talem removeri vult.

197. *Dices* 6°. Potior est habenda ratio innocentis, quam prædonis; ergo iniquum videtur, si contra dominum deberet prædo restitui.

R. *N. suppositum*, dominum, qui vim ex intervallo etiam prædoni intulit, in sensu juris innocentem esse, quandoquidem neglectis remediis juris sibi ipsi jus dixerit, ac punibilem se fecerit etiam pœna privationis domini, cum jura graviter prohibeant, in publicis fundata causis, ne homines sibi jus dicant, ad vim et arma prosiliant, unde civilis pacis perturbatio variaque gravia incommoda nasci pronum est.

ARTICULUS III.

QUOS FRUCTUS TENEATUR RESTITUERE POSSESSOR BONÆ FIDEI, RE ALIENA IN JUDICIO EVICTA?

198. *Nota.* Fructuum nomine id omne intelligitur, quod ex re ipsa, vel occasione rei percipitur; suntque in multiplici classe; aliter tamen a Theologis, aliter a Juristis dividuntur. Dividunt eos Theologi 1°. in naturales, industriales, et mixtos. *Naturales*, sive spontanei sunt, qui ex ipsa re, sine notabili saltem industria hominum, provenire solent, ut gramen, poma, ligna cædua, lac pecudum, partus animalium, lana ovium et similia. *Industriales*, qui vel unice, vel potissimum accedente industria hominis proveniunt, ut sunt artefacta, lucrum negotiatione acquisitum, dexteritate vendendi, etc. in quibus plus hominis industria quam ipsæ res, etsi per modum instrumenti concurrant, operatur. *Mixti*, qui a natura et industria humana ferme æqualiter concurrentibus gignuntur, ut segetes, vinum, caseus, butyrum, lana depexa, etc. A Juristis vero in *naturales*, *industriales* et *civiles* dividuntur. Per naturales eosdem cum Theologis intelligunt: per industriales, quos Theologi mixtos vocant: per civiles, qui a Theologis industriales appellantur; civiles vero sic ideo nuncupant, quod mediante aliquo jure, vel obligatione civili provenire plerumque soleant. Nos hac in materia Theologorum maxime divisionem retinebimus.

Dividuntur 2°. communi Theologorum et Juristarum sensu in pendentes, perceptos, percipiendos. *Pendentes*, qui rei fructiferæ adhuc inhaerent, ut fœtus animalium nondum in lucem editi, poma ex arbore adhuc pendentia, segetes nondum demessæ. *Percipiendi*, quos possessor vel negligentia vel dolo non percepit, potuisset tamen, si voluisset, facile percipere. *Percepti*, qui jam a re frugifera separati, et a possessore collecti.

Percepti rursus dividuntur in consumptos et extantes. *Consumpti*, qui nec in natura, nec in æquivalenti, sive pretio supersunt; *extantes*, qui adhuc supersunt: si supersint in natura, dicuntur *extantes formaliter*; si in æquivalenti, ut pretio, quod ex venditis possessor accepit, aut si fructus ex re aliena perceptos absumendo, pepererit interim proprius ex re sua perceptis, dicuntur *extantes virtualiter*. Pro intelligendo statu controversiæ hoc ævo celebris

Nota II. Quæstio nulla est de fructibus industrialibus; cum enim rei fructus non sint, sed industriæ possessoris, certum est, eos restitui non debere: nec de pendentibus; hi enim cum vel pars fundi, vel rei, cui inhaerent, censeantur, æque certum est, hos e contra debere restitui: nec de percipiendis juxta Jurisconsultorum communem; quia, cum possessor bonæ fidei loco domini sit, cui liberum est, quantum velit e re fructuum percipere, satis constat, eum ad hos restituendos nullo foro obligari: nec denique de simpliciter consumptis ante contestatam litem, utpote quos pariter loco domini absumpsit; sed de naturalibus et mixtis, ante litem contestationem perceptis, adhuc extantibus et nondum præscriptis. Dixi 1°. *Ante litem contestationem* perceptis; nam post contestationem litem possessor constituitur in fide juridice mala, ac proinde, re aliena evicta, omnes fructus a tempore contestatæ litem perceptos obligabitur restituere. 2°. *Nondum præscriptis*; si enim jam præscripserit, eorum acquisivit dominium, nulloque modo tenebitur restituere. Quæritur vero 1°. de extantibus formaliter; 2°. et maxime de extantibus virtualiter.

199. *Dico I.* Possessor bonæ fidei tenetur cum re aliena in judicio evicta restituere omnes fructus naturales et mixtos jam perceptos, et adhuc formaliter extantes. Ita multi contra multos.

Prob. I. Ex L. 22. Certum. C. de R. V. ubi: Certum est, malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare; bonæ fidei vero extantes; post litem autem contestationem universos. Quæ lex clarissima est.

Prob. II. L. bonæ fidei. 48. ff. de A. R. D. ita statuitur: Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex re aliena suos interim facit; non tantum eos, qui diligentia et operâ ejus provenerunt; sed omnes, quia, quod ad fructus attinet, loco domini pene est. In qua lege notentur hi termini restringentes: suos interim facit: loco domini pene est; quia clare supponunt, dominium horum fructuum formaliter extantium, quod tribuitur possessori bonæ fidei, esse revocabile, et, re evicta, transire cum re ad dominum.

200. *Obj. I. L. 28. ff. de Usurp. et Usucap. 1°. Possessor bonæ fidei æquiparatur usufructuario: sed hic acquirit fructus dominio irrevocabili; ergo. 2°. Dicitur acquirere fructus naturales pleno jure; ergo irrevocabiliter.*

R. *Ad 1^{am}. D. Equiparatur usufructuario quoad perceptionem fructuum C. Quoad retentionem N. Nam suos tantum interim facit; respectu eorum loco domini pene est.*

R. *Ad 2^{am}. N. Cons.* Non enim in jure idem sonant: pleno jure, et dominio irrevocabili; patet ex *L. 29. ff. quia et a quib. manumiss.* ubi servus sub

conditione legatus, pendente conditione, pleno jure hæredis est, et tamen postea fit legatarii.

201. *Obj. II. L. 4. §. 19. ff. de Usurp. et Usucap. Lana ovium furtivarum, siquidem apud furem detonsa est, usucapi non potest; si vero apud bonæ fidei emptorem, contra: quoniam in fructu est, nec usucapi debet, sed statim emptoris fit.* Ergo possessor bonæ fidei ne quidem hos fructus præscribit, sed statim ipsius fiunt; atqui nemo tenetur restituere rem suam. Vel, si emptor bonæ fidei fructus usucapere potest, ut pariter insinuat citata lex, nullum omnino acquirit dominium.

R. D. 1^{am}. *illat.* Hos fructus non præscribit, ut eorum acquirat dominium revocabile C. Ut acquirat irrevocabile N. Ut enim præscriptione acquirat dominium irrevocabile, requiritur lapsus triennii. D. *etiam Subs.* atqui nemo tenetur rem irrevocabiliter suam restituere C. Tantum revocabiliter suam N. Demum D. 2^{am}. *illat.* Vel, si usucapere non potest, nullum acquirit dominium irrevocabile C. revocabile N. Sic autem illa lex explicanda est, ut concordet cum LL. claris, cum L. Certum. 22. L. 48. *citt. in Concl.* Petit autem hos fructus dominus non vindicatione, sed condictione, sine causa, quæ est actio personalis.

Si ais: Dominium revocabile videtur nugatorium et fingi.

R. N. *assert.* Exemplum ejus clarum habes in jure, scilicet in dominio, quod habet maritus in dote uxoris; nam hoc dominium revocatur resolutio matrimonio; ergo etiam resoluta causa, nempe bonæ fidei, propter quam possessor fructus suos interim fecit, revocari potest et resolvi dominium, quod in fructus interim habuerat.

202. *Obj. III.* Cum aliis contenditibus, ne quidem possessorem bonæ fidei revocabile habere dominium illorum fructuum. L. 43. *ff. de Usur. et fructib.* uxor, vel maritus ex re sibi donata a conjuge (quæ donatio jure communi invalida est, adeoque ex re aliena) illos tantum fructus suos facit, quos operis adquisierit, veluti serendo; nam si pomum decerpserit, vel ex sylva ceciderit, non fit ejus, *sicut nec cujuslibet bonæ fidei possessoris*; ergo possessor bonæ fidei tantum acquirit fructus industriales, quos operis adquisierit; non vero naturales et mixtos dominio etiam revocabili, quia simpliciter illi negatur acquisitio.

R. N. *Cons.* Lex enim non dicit, quod fructus naturales nullius bonæ fidei possessoris fiant, sed quod non cujuslibet; quæ enunciatio non universalem sensum, sed particularem sensum efficit, ut constat ex similibus: non cuiuslibet est doctus: non cuius contingit adire Corinthum: qui modus enunciandi quidem eidem Jurisconsulto familiaris fuit, ut constat ex L. 6. *ff. de contrah. empt.* ubi similiter inquit: non cujusque rei venditionem et alienationem esse, quam sententiam universalem esse nemo dixerit. Dicendum igitur illos, quibus uxor in L. 43. *cit.* æquiparatur, esse eos, qui rem alienam bona quidem fide possident, sed aut nullo, aut non sufficienti titulo, quales sunt, qui titulum præcessisse putant, quod rem a falso tutore bona fide emerint, L. 13. §. *fin. ff. de publ. in rem Act.* vel qui rem minoris, qui curatorem habet, non interposito prætoris decreto per errorem juris eme-

rint; generaliter vero injustus titulus, vel errore juris, præsertim clari, non toleratus non prodest ad compendia.

203. *Obj. IV. cum iisd. §. 35. Inst. de R. D.* ait Imperator fructus ex re aliena perceptos bonæ fidei possessoris fieri propter curam et culturam; ergo ejus non fiunt fructus naturales. Item L. 48. §. *ancilla ff. de furtis*, qui ancillam bona fide possidet, partum usucapere debet; ergo jure possessionis ejus dominus non est.

R. Ad 1^{am}. D. Propter curam et culturam tanquam causam principalem N. secundariam C. Causa principalis non est cura et cultura; alias enim inter possessorem bonæ et malæ fidei nulla posset assignari disparitas; sed causa principalis juxta L. 48. *ff. de A. R. D. et L. 25. ff. de Usur. et fruct.* est bona fides, quæ tantum in casu ficto, quantum veritas in casu vero operatur. L. 136. *ff. de R. I.*

R. Ad 2^{am}. D. *Cons.* Ergo jure possessionis dominus irrevocabiliter non est C. revocabiliter N.

Si dicas: Dominium revocabile nihil prodest possessori bonæ fidei; ergo vel irrevocabile habet, vel nullum.

R. N. *Ant.* Ad hoc enim prodest, ut, si bona fide consumpserit, distraxerit, possessor, cum id loco domini fecerit, non tenetur restituere inde comparatum pretium, ad quod alias teneretur.

204. *Dico II.* Possessor bonæ fidei fructus naturales et mixtos ex re aliena titulo singulari perceptos, et bona fide jam consumptos, ex quibus tamen factus est ditior, adeoque solum virtualiter extantes, domino rem evincenti restituere non tenetur. Ita HAUNOLD. PALAO. WIESTNER, PICHLER aliique multi præsertim Recentiores contra plurimos alios.

Prob. I. Ex §. 35. Inst. de R. D. ubi: Naturali æquitate placuit, fructus, quos percepit, ejus esse pro cura et cultura; et ideo si postea dominus supervenerit, et fructum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest. In hac lege 1^o. agitur de fructibus non omnino consumptis, sed ita, ut adhuc virtualiter in aliquo alio extent; constat ex his: *ejus esse*, quod enim ita consumptum, ut nullo modo in rerum natura extet, pro nunc meum esse dici nulla proprietate verborum potest. 2^o. Tribuitur possessori absolute istorum fructuum dominium per hæc ipsa: *ejus esse*. 3^o. Negatur domino actio, quæ petat fructus virtualiter extantes: *agere non potest*; ac proin possessori datur dominium irrevocabile. Nec obstant illa: *pro cura et cultura*; hæc enim non est principalis ratio; sed bona fides, ut paulo ante dictum. Imo potest cultura ad mixtos Juristarum sensu, cura ad naturales referri.

Conf. Et vero nulla actio assignari potest, quæ domino competeret: non enim vindicatio, quia hæc rem in se extantem supponit; at fructus in se non extant amplius; non condictio, vel actio personalis, quia hæc contractum, vel quasi delictum vel quasi tale supponit; sed possessor bonæ fidei nec contraxit, nec deliquit: non imploratio officii judicis, quia, remota actione principali, officium judicis cessat in iis, quæ accedunt, L. 8. *et ult. ff. de eo, quod cert. loc.*

205. *Prob. II. Ex L. 4. ff. finium regum*, ubi: *Fructus ante judicium*

percepti, non omni modo hoc in iudicium venient; aut enim bona fide percepti, et lucrari eum oportet, si eos consumpsit; aut mala fide, et condici oportet. Ubi 1^o. rursus domino negatur actio circa fructus virtualiter extantes: non omni modo in hoc iudicium venient. 2^o. Hic sermo est de fructibus virtualiter extantibus, quia dicitur *lucrari* possessor bonæ fidei, quod de omnino consumptis, ex quibus nec quoad obolum factus ditior, nequit accipi; lucrum enim sensu juris et grammatices rei suæ incrementum dicit; ac non nisi maxime improprie lucratus diceretur, qui toto die negotiando nihil quidem rei suæ perdidit, sed nec obolum novum acquisivisset. Unde *L. Mutius. 30. ff. pro socio: neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto.* Hinc et 3^o. dominium horum fructuum tribuitur possessori bonæ fidei, quia lex eum *lucrari* vult.

206. *Si dicas:* Lucrum etiam sensu juris non necessario bonorum augmentum importat; nam *L. 2. ff. de in diem addict.* dicitur emptor, cui res in diem addicitur, lucrari fructus; et tamen *L. 6. ff. eod.* jubetur, si alius emptor plus offerens superveniat, refundere fructus venditori. Sic etiam communiter dicitur quis lucrari causam, quando accusatus de damno dato absolvitur; rursus, dum duo luserunt pro convivio, victor dicitur lucratus convivium, etsi non sit factus ditior.

R. N. Ant. Ad 1^{um}. R. Emptorem primum obligari solum ad restituendos fructus *extantes*, non ex quibus consumptis factus ditior, nec plus ex *L. 6.* erui potest; quin cum *L. 2.* dicatur penes emptorem esse periculum rei, æquum est, ut, quo periculum hoc compensetur, fructus reliquos retineat. Deinde, si daremus etiam a *L. 6.* juberi, ut omnes fructus restituat, nihil officeret; quia, ut constat ex *L. 6.* non lucratur fructus simpliciter, sed solum conditionate; nec venditori negatur tunc actio, qua fructus petat, sed statuitur; secus est in nostra controversia. At retinenda responsio prior, partim ex hoc ipso etiam, quod *lucrari* dicitur; quod verum non esset, si omnes omnino teneretur restituere, ac proinde, ut hæc duæ leges concordent, *L. 6.* de formaliter extantibus, et pendentibus explicanda.

Ad 2^{um}. R. Victor convivio fruens cum parcat rebus suis, quas expendere debuisse, si victus ipse fuisset, merito lucratus dicitur. Lucrari vero causam, uti et voluptatem et similia, est locutio impropria, quæ nequit esse regula similiter leges improprie sumendi.

Præterea pro conclusione facit, quod lex, utpote domina rerum, ex justis causis (quales sunt amputatio litium, anxietatum, scrupulorum, cum difficillime probari ac discerni posset, an, et in quantum quis factus locupletior) potuerit fructuum illorum dominium irrevocabile attribuire possessori, ac etiam attribuerit; alias si fructus non tantum formaliter, sed etiam virtualiter extantes voluisset restitui, id saltem aliquando alicubi expressissent leges, uti expresserunt in petitione hæreditatis, velut *L. 25. §. 11. L. 40. §. 1. ff. de hæred. petit.* Unde

207. Dixi in conclusione: *perceptos titulo singulari*, ut titulo pro emptore, pro donato, pro legato, etc. nam si possederit rem titulo *universalis*, ut hæredis, quia putabat se hæredem, cum non esset, tenebitur hæredi vero, hæreditate evicta, restituere fructus etiam extantes virtualiter, quia fructus et

pecuniæ ex rebus hæreditariis redactæ hæreditati, acquiruntur; est enim hæreditas universitas quædam, corpus mysticum, recipiens per se incrementum et decrementum; *L. 20. §. 3. et L. 25. §. ult. ff. de hæred. petit.* Item persona ficta juxta n. 140. Indeque receptum, ut, quidquid ex rebus hæreditariis redigitur, sapiat naturam ejus, in cujus locum surrogatum est, *L. 25. §. 18. et L. 40. §. 2. et seq. ff. eod.* Facit huc etiam illa æquitatis ratio, quod mitius agatur cum possessore hæreditatis, quam in rei singularis vindicatione; nam Senatus ita possessori hæreditatis consuluit, ut, si quid detraxerit, aut perdidit, dum re sua se abuti credit, non teneatur, sive absolverit a restitutione fructuum omnino bona fide consumptorum, *L. 25. cit.* igitur æquum est, eum gravari in altero, ut fructus, ex quibus est factus locupletior, restituat.

208. *Obj. 1.* Adversatur juri naturali quemquam locupletari ex alieno, *c. 48. de R. I. in 6.*; ergo.

R. D. Ant. Adversatur juri naturali locupletari ex alieno injuste, sine dispositione, aut assistentia juris *C.* juste, cum assistentia juris *N.* Paritas est in præscriptione.

Inst. 1. L. 28. ff. de petit. Hæred. sine differentia bonæ et malæ fidei possessoris Jurisconsultus docet, omnes fructus, sine exceptione, restituendos esse; ergo jura non assistunt bonæ fidei possessori quoad fructus consumptos et solum virtualiter extantes.

R. D. Ant. Omnes fructus esse restituendos in *judicio universalis*, ut, cum petitur hæreditas, de quo casu agit citata lex *C.* in *judicio singulari*, vel particulari, quando res singularis vindicatur *N.* Sed eatenus, dum hæreditas vindicatur, limitata fuit conclusio.

Inst. 2. §. 2. Inst. de Offic. Jud. Judex quoad restitutionem fructuum jubetur idem observare in judiciis particularibus, quod in universalibus; ergo.

R. D. Ant. Jubetur idem observare quoad omnia *N.* quoad aliqua, in quibus lex differentiam inter hæc duo judicia non adstruit *C.* Non comparantur perfecte iudicium universale et particulare, sed secundum quid; expediti enim juris est, quod in petitione hæreditatis fructus eadem actione petantur, *L. 7. C. de petit. hæred.*; non vero in vindicatione rei singularis. Præterea certum est, fructus accrescere hæreditati, quæ ut corpus mysticum incrementum et decrementum recipit, quæ de judiciis particularibus dici nequeunt, in quibus functionem non recipiunt. Igitur comparantur solum 1. quoad fructus formaliter extantes. 2. Quoad possessorem malæ fidei. 3. Quoad possessorem bonæ fidei, quantum attinet fructus omnino consumptos. 4. Quoad eundem circa fructus, lite jam contestata, perceptos; non vero quoad fructus ante litis contestationem perceptos et cum lucro consumptos, quia hos speciales juris textus excipiunt.

Inst. 3. Gratis dicitur, quod jura hos fructus excipiant; ergo. *Prob. Ant.* Jura volunt restitui fructus non consumptos: atqui fructus virtualiter extantes non sunt fructus consumpti. *Prob. min.* quia per *L. 72. ff. de Legat. 2. absumptum non videtur, quod in corpore patrimonii remanet*; sed in hoc manent fructus cum lucro consumpti.

R. N. Ant. et prob. min. Huj. prob. D. Absumptum non videtur in iudicio

universali *C.* in particulari *N.* Etiam hæc *L. 72.* de possessore hæreditatis evictæ loquitur.

Inst. 4. L. 18. ff. quod met. caus. statuitur, quod si res metu extorta ad tertium pervenerit, et re apud tertium extincta, ex illius distractione pretium apud eum extet, locupletior factus censendus sit, dandaque sit in eum actio; ergo etiam in judicio particulari absumptum non censetur, quod in corpore matrimonii remanet.

R. D. Ant. Hæcque lex agit de casu, quo quis ex *re aliena* pretium comparavit *C.* quo bonæ fidei possessor pretium ex fructibus comparavit *N.* Loquimur hic solum de fructibus. In priore casu pretium subintrat locum rei, non autem in locum fructuum bona fidei distractorum. Ratio diversitatis est diversa juris dispositio, quod, ut faveret bonæ fidei possessori, noluit ab hoc pretium fructuum restitui; ne tamen huic nimium faveret, sed simul consuleret domino, huic saltem pretium rei restitui voluit.

209. *Obj. II.* Quando restituitur indebitum, restitui quoque debent fructus, ex quibus est factus locupletior, qui indebitum accepit, *L. 13. pr. L. 26. §. 12. ff. de Condict. indeb.* sed dum res aliena restituitur, restituitur indebitum; ergo.

R. D. M. Quando restituitur indebitum, quod petitur per *condictionem indebiti*, hoc est, actionem personalem, qua convenitur, qui ratione contractus vel quasi plus æquo accepit *C.* De hoc enim *LL in cit. tit.* loquuntur. Quando restituitur indebitum, quod petitur per *vindicationem*, sive actionem realem ratione dominii, quod actor præten dit *N.* In nostro autem casu res aliena non restituitur domino illam evincenti per *condictionem indebiti*; sed vindicanti rem per actionem realem ratione dominii, quæ actio solum persequitur rem extantem formaliter. Ratio autem cur in *condictione indebiti* habeatur ratio fructuum cum lucro consumptorum, est, juxta *L. 65. §. 2. ff. de condict. indeb.*, quod *condictio indebiti* ex æquo et bono introducta sit, ne, quod alterius est, apud alterum sine causa existat, cum nullus verus præcesserit titulus. In nostro autem casu volunt leges possessorem bonæ fidei, qui rem alienam justo titulo accepit, fructus lucrari. Accedit, quod in hac specie *indebiti soluti* inducant tacitum consensum inter dantem et accipientem de restituenda re indebito soluta cum omni causa, qui quasi contractus in aliis possessionum speciebus non intervenit.

210. *Obj. III. 1º. L. 13. ff. de R. V. Si quis rem ex necessitate distraxit, fortassis huic officio judicis succurratur, ut pretium duntaxat debeat restituere: nam etsi fructus perceptos distraxit, ne corrumpantur, æque non amplius, quam pretium præstabit; ergo. 2º. L. Si, cum servum 23. ff. de reb. cred. Si quis servum alienum vendiderit, isque fuerit mortuus, a venditore pretium condici valet, quia ex re aliena fuit factus locupletior. 3º. L. 23. ff. de adim. vel transfer. legat. 4º. Minor, qui sua pecunia pluris, quam debuisset, prædium emit, dum restituitur in integrum, tenetur venditori una cum prædio restituere fructus, ex quibus est factus ditior, L. 27. ff. de Minorib. 5º. De jure naturali certum est possessorem bonæ fidei teneri ad restituendos fructus virtualiter extantes; e contra vero jus positivum, quod eximat possessore-*

rem bonæ fidei a restitutione eorum fructuum, est dubium; ergo standum est jure naturali; sicut dum certum est, debitum fuisse contractum, dubium vero, an solutum, adhuc saltem pro ratione dubii debet fieri solutio.

R. Ad 1ºm. Lex verosimilius loquitur de fructibus, lite contestata, distractis; colligitur inde, quia favor, quod pretium solummodo debeat restituere, datur illi tantum, qui *ob necessitatem* distraxit, ne corrumpantur; id quod frustra allegaretur pro concedendo hoc favore, nisi per contestationem litis fuisset in mala fide juridice; cum possessori bonæ fidei ante contestatam litem permissum quavis de causa fructus distrahere.

R. Ad 2ºm. Sermo est de casu, quo quis ex *re aliena* factus ditior; agit enim de pretio, quod ex servo alieno vendito redactum; servus vero in jure rei æquiparatur, cum non secus ac illa pati de se dispositionem domini debeat, ut vendatur, distrahatur, huc illuc transferatur; unde et jus domini in servum reale est. At concedimus pretium rei debere restitui; negamus solum de pretio fructuum bona fide ante contestationem litis distractorum, ob contrariam dispositionem juris.

R. Ad 3ºm. Ideo non obstante, quod ex rationibus primipili prædium emptum sit, filiæ deberi 300. quod pater principaliter ad commoda primipili respexerit; non minus autem inter commoda referri debet prædium emptum, quam pecunia. Vel dico, quod pater 300. filiæ *in genere* prælegavit; non vero in specie, ut genus perire non potuerit.

R. Ad 4ºm. *Disparitas* est, quod de minoribus, dum restituuntur in integrum, specialis sit ratio; restitutio enim in integrum fieri debet, ut quisque jus suum recipiat; unde sicut minor non debet morari in damno, sic neque in lucro. *L. 24. ff. de Minor. L. ult. C. de reputat. quæ sunt in jud.*

R. Ad 5ºm. D. membr. 1ºm. De jure naturali est certum, stante præsentis juris positivi dispositione *N.* hæc seclusa *T. D. etiam 2ºm. membr.* De jure positivo est dubium, hoc est, non est absolute et omnino certum *C.* Non est saltem probabilius, quod spectato jure positivo sit exemptus a restitutione *N.* Hoc jam sufficit, ut saltem formari possit judicium practice certum. Aliud est de debito certo, et incertitudine factæ solutionis; cum enim justitia commutativa spectet et exigit æqualitatem rei; res vero nondum sit reducta ad æqualitatem, dum ex una parte certum est debitum; ex parte vero altera solutio solum incerta; sequitur pro ratione dubii adhuc solutionem præstandam esse; at nemo tenetur solvere, si de jure probabilius sit, quod nihil debeat, ut se res habet in nostro casu. *Dixi T.* Quia, etiam stante jure naturali, non ita hoc certum apparet, ut asseritur; cum, hoc jure stante, possessor bonæ fidei ex æquitate et congruentia naturali videatur hos fructus lucrari, eo quod possessio bonæ fidei, præsertim a causa et forma possidendi civilis sit species imitativa servitutis personalis, sive usufructus. Nec obstant illa axiomata: nemo debet ex re aliena locupletari; res, fructus alienæ rei clamant ad dominum. Nam primum commode explicatur de eo, qui cum delicto, scienter ex re aliena lucrum captat; alterum æque de possessore malæ fidei; qui, cum conscientiam habeat rei alienæ, quæ hujus possessorem ipsi exprobrat; ideo res clamare dicitur.